

possit imprimi? Sic enim Carthagini memini, sic omnium locorum, quibus interfui, sic facies hominum quas vidi, et ceterorum sensuum nuntiata; sic ipsius corporis salutem, sive dolorem. Cum praesto essent ista, cepit ab eis imagines mea memoria, quas intuerer praesentes, et retractarem animo, cum illa et absentia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam, non per se ipsam in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat, ut ejus imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam in memoria conscribebat, quando id etiam, quod jam notatum invenit, praesentia sua delet oblivio? Et tamen quocumque modo, licet sit modus iste incomprehensibilis et inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me, certus sum, quia id quod meminimus obruitur.

CAPUT XVII. VI MEMORIAE, QUAM HABENT ET PECORA ET AVES,
DEUS NON POTEST ATTINGI.

Magna ista vis est memoriae, nescio quid horrendum, Deus meus, profunda et infinita multiplicitas; et hoc animus est, et hoc ego ipse sum. Quid ergo sum, Deus meus? Quae natura sum? Varia, multimoda vita, et immensa vehementer. Ecce in memoriae meae campis, et antris, et cavernis innumerabilibus atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, sive per imagines, sicut omnium corporum; sive per praesentiam, sicut artium; sive per nescio quas notiones, vel notationes, sicut adfectionum animi, quas et cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit, quidquid est in memoria: per haec omnia discuro et volito hac atque illac; penetro etiam, quantum possum, et finis nusquam. Tanta vis est memoriae, tanta vitae vis est in homine vivente mortaliter! Quid igitur agam, tu vera mea vita, Deus meus? Transibo et hanc vim meam, quae memoria vocatur, transibo eam, ut pertendam ad te, dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego adscendens per animum